

55 Resp. II. Poena Criminis *Sacrilegii* alia est, quando cum alia sine violentia committitur, si cum violentia & effractione loci sacri committitur veram *Violatorem* Ecclesiae constituit, & poenam illius secum trahit, de qua vide supra Tit. XVII. à n. 42.

56 Resp. III. Si absque effractione committitur, de Jure Canonico poenam Excommunicationis, non quidem ipso facto, sed ferendam incurrit, à qua tamen *Sacrilegus* absolvi nequit, donec plenè satisfaciatur, arg. c. *fin. h. t. & c. Conquestus. 16. de foro competent. ibi: Cum autem valeat sit iniquum, ut ea, quae collata sunt, pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis, vel relictis, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod meritò invasores ipsarum rerum tanquam Sacrilegi sunt Anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi.*

57 De Jure Civili autem poena *Sacrilegii* est, quam supra tit. XVII n. 44 & 45. allegavimus: praeferquam, quòd cunctis etiam poenis *furti h. t.* enumeratis subjaceat.

58 Queritur V. Quid sit, & quibus poenis subjaceat *Plagium*? Resp. I. *Plagium* est Crimen publicum, quo quis dolosè surripit hominem sui Juris existentem, vel servum alienum, sive detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo dominium rerum transfertur, aliis tradat, L. 1. & seqq. ff. ad Leg. *Fabiam* de *Plagiariis*. Quòd Crimen, si homo sui Juris subripitur, non est propriè *furtum*, quia libera persona sub nullius dominio, §. *Item Juris Institut. de Inst. Sripulat.* Si verò proles sub patria potestate constituta ita subripitur, verum *furtum* est, §. *Ineridum. Instit. de Obligat. qua ex delictis*. Indeque patri actio *furti* competit, l. *Eam qui. 14. §. si Filius Familias ff. h. t.* Non item Matri utpote potestate in prolem carenti, l. *Mater. 38. ff. eod.*

59 Resp. II. Poena *Plagii* olim erat poena pecuniaria l. *fin. ff. ad Leg. Fabiam*, de *Plagiariis*. Hodierno autem Jure est poena mortis, c. 1. h. t. ibi: *Qui furatur hominem & vendiderit, morte moriatur.* junctà l. *Quoniam. 7. & l. fin. C. ad Leg. Fabiam* de *Plagiariis*. quae tamen interdum in mitiorem, puta poenam metalli, & exili mutatur cit. l. *fin. ff. eod. & §. Est & 10. ibi, Est & inter publica judicia ex lege Flavia de Plagiariis, quae interdum capitis poenam ex sacris Constitutionibus irrogat, interdum autem mitiorem.*

Queritur VI. Quid, & quibus poenis subjectam sit *Abigeatus*? Resp. I. Crimen *Abigeatus* est quaedam species *furti*, vel quasi *furti*, quòd committunt *Abigei*, id est illi, qui pecora ex pascuis, vel armentis subrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent equos de gregibus, vel oves de armentis abducentes. Ita in terminis habetur l. 1. ff. de *Abigeis*. Porro licet abductio unius equi aut bovis *Abigeatum* constituat, tamen *Abigeus* non est, sed simplex *Fur*, qui de grege ovium minus quam decem, & de grege porcorum minus quam quinque abducit, textu expresso. l. *fin. ff. h. t.*

60 Resp. II. Poena *Abigeatus* de Jure communi variata est, pro varietate circumstantiarum delicti, & personae, ita ut subinde ad gladium, subinde ad metallum, subinde ad bestias damnentur, subinde relegentur l. 1. & 2. ff. de *Abigeis*, hodiernà tamen consuetudine puniuntur ut *Fures*, prout ad dictas Leges magis declarant Doctores.

61 Queritur VII. Quid sit, & quas poenas secum trahat *Peculatus*? Resp. I. *Peculatus* est species *furti*, quo pecunia, seu ad aerarium publicum, aut Fiscum Principis pertinens, vel pecunia sacra, aut Religiosa subripitur ab eo, cujus fidei non est commissa, E. c. l. *Leg. 4. princ. & §. fin. l. Sacrilegi §. Labco. ff. ad Leg. Juliam. Peculat. & §. 9. Insti. de Public. Judic.*

Resp. II. Poena *Peculatus* est vel pecuniaria, & quidem quadruplum l. *Sacrilegi poenam. 6. in fine, & l. Is qui. 13. ff. eod.* vel alia praesertim Deportatio, l. *Peculatus. 3. ff. eod.* vel etiam ultimum supplicium, si hujus Criminis rei sunt Judices, & Magistratus: quae poena etiam afficiuntur, qui his ministerium ad Crimen exhibent, vel subtractas pecunias ab illis scienter accipiunt. §. *Item Lex Julia Peculatus. 11. Insti. de Public. Judic. & l. un. C. de Crimine Peculatus*. Hodie etiam poena *furti* puniuntur.

Queritur VIII. Quid sit, & quas poenas habeat Crimen de *Resistis*? Resp. I. Est delictum publicum, quo pecunia ad certum usum non erogatur, sed vel retinetur, vel in alium usum convertitur. L. 2. & l. *Leg. Julia, 4. §. 3. ff. ad L. g. Jul. Peculatus*.

Resp. II. Poena Criminis de *Resistis* est, quòd praeter infamiam cunctis Criminibus publicis debitam. l. *Infamem. 7. ff. de public. Judic.* debeatur restituere amplius tertiam partem rei iniquè detentae, vel non debite erogatae, ita ut qui 90. florenos male erogavit, 120. florenos restituere debeat. l. *Leg. Julia. 4. ff. ad Leg. Jul. Peculatus*, ibi: *Qua lege damnatus amplius tertiam partem, quam debet, puniatur.*

Queritur IX. Quid sit Crimen *ex parte Haereditatis*? & quae poena illius? Resp. I. Est Crimen, quo quis ante vel post aditam, sed nondum possessam haereditatem, rem haereditariam mobilem surripit, quia talis censetur reus *Furti*, l. *His enim. 70. ff. h. t.* Poena illius est arbitraria pro diversitate circumstantiarum infligenda, L. 1. l. *Divus 3. ff. Ex parte haereditatis*.

Queritur X. Quid sit sepulchri violatio? & qualiter puniatur? Resp. I. Est Crimen, quo quis sepulchrum non tantum violat, sed etiam inde monumenta, vel alia auferit, vel cadavera effodit, & spoliat, l. *Si sepulchrum. 2. & l. Praetor ait. 3. ff. de Sepulchro violato*.

Resp. II. Poena hujus Criminis praeter infamiam, l. 1. ff. eod. statuta est arbitraria, & subinde etiam Capitalis, praesertim, si corpora, vel ossa eruantur l. *Praetor ait. 3. l. fin. ff. eod.* ibi: *Rei sepulchrum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo supplicio afficiuntur, honestiores in Insulam deportantur: alii autem relegantur, aut ad metallum, damnantur.*

Queritur XI. Quid sit, & quae poena afficiatur *Amotio termini*? Resp. Est Crimen, quo quis terminos vel lapides finales *Granitesstein, oder Markschaulen, oder Stöcker* dolosè eruit, auferit, aut mutat, vel ut praesens noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, & suo adjiciat: cujus criminis poena est vel pecuniaria 50. aureorum l. *Leg. Agraria. ff. Termino amoto.* vel etiam relegatio, aut fustigatio illorum, qui occupandorum aliorum finium causa id admisserint, l. *Divus Hadrianus. ff. eod.*

TITULUS XIX.

De Usuris.

1. Ratio Continuationis.

Usura vitium est affine rapinae, & Furto: nam ut dicitur can. *Si quis. cau. 14. q. 4. si quis usuram accepit, rapinam fecit, vita non vivit.* Quòd tamen cum Glossa intellige de rapina largè accepta, & prout iunitur pro qualibet injusta usurpatione, arg. can. *Americus. cau. 32. quest. 4. ligitur*

Igitur post Titulos de *Rapinosis, & Furtis*, rectè agitur de *usuris*: quae materia cum propriè sit Canonica, & non nihil prolixior, rectè in quosdam Paragraphos dividitur.

§. I.

De Natura & Divisione Usurae.

SUMMARIUM.

- 2 Usura variè accipitur.
- 3 Propriè accepta definitur.
- 4 Est lucrum vi solius mutui proveniens.
- 5 Ubi nomine *Lucri* intelligitur omne, quidquid est pretio aestimabile etiam obsequia, obligationes, remissiones harum &c.
- 6 Usura alia est mentalis, alia realis:
- 7 Realis alia expressa, alia palliata.
- 8 Usurae aliae sunt centesimae, aliae bessales, aliae semissae, quintances, quadrantes, trientes: Et num. seq.
- 10 Aliae simplices, aliae usurae usurarum.
- 11 Aliae compensatoriae, seu restauratoriae, aliae punitoriae, seu moratoriae, aliae lucrative.
- 12 De compensatoriis, & punitoriis, Remissive.

Usura juxta nominis Etymologiam dicitur ab *usu*, sicut *cultura à cultu*; ideoque in genere significat aliquid rei. Sic homo dicitur accepisse usuram praesentis vitae &c. Dein accipitur *usura* pro commodo, seu fructu ex utroque proveniente, prout Cicero Libro de Senectute ait: *Terra nunquam sine usura reddit, quòd accipit.* Tertio, & magis ad propositum *usura* sumitur vel pro lucro ex mutuo, indeque *lucrativa usura* vocatur, & alio nomine etiam *Fenus* dicitur, vel pro ipsamet conventionem seu contractum *usurario*, & sic loquendo de *usura* propriè dicta, seu *lucratione*.

Queritur I. Quid sit *usura*? Resp. cum Communi, dicendo: *usura est lucrum immediatè ex mutuo proveniens*, dum videlicet Creditor ultra sortem vi solius mutui alteri dati aliquid exigit, & quasi ex justitia debitum accipit, arg. can. *Plerique. 3. & can. fin. cau. 14. q. 3.* Vel accipiendo eam pro contractu; *usura* est mutuum cum pacto expresso vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ratione mutui.

Dicitur notanter, *ratione mutui*; sive ut alii loquuntur, *ex vi & causa mutui principaliter*. Quia mutuum est unica velut sedes *usurae*, per textum in can. 1. & seqq. cau. q. 3. & Doctores communiter: sicut & textus S. Scripturae n. 14. referendi, de solo mutuo loquuntur. Unde si quis lucrum acquirit ex locatione, conductione, liberalitate, seu gratitudine mutuatarii, *usura* non committitur.

Porro sub nomine *Lucri* intelligitur quodlibet temporale, seu pretio aestimabile, quòd ultra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex justitia debitum: sive deinde illud sit pecunia, sive frumentum, vel alia res pretio aestimabilis, ut pluribus dicitur, can. *si feneraveris, & seqq. cau. 14. q. 3.* ubi dicitur, *usuram esse, quidquid ultra sortem recipit, sive sit pecunia, sive triticum, sive merces, sive quodcumque aliud.* Et hoc communiter etiam extendunt Doctores ad obligationem Civilem quidpiam ex debito seu pacto sibi praestant *ratione mutui* v. g. apud se emendi merces, sibi vendendi, aut operas suas locandi, vel ut *Mutuatarius* Creditori praestet obsequium aliunde indubitum. Layman Lib. 3. Tit. 4. cap. 16. n. 2. Palao Tract. 32. Disp. 4. pun. 11. n. 2. Ratio est; quia hujusmodi onera, & obligationes sunt, pretio aestimabilia, adeoque vi solius mu-

tui absque *usura* exigi non possunt.

Queritur II. Quotplex sit *usura*? Resp. Eam variè dividi, & primò quidem in *mentalem, & realem*. *Usura mentalis* est, quando quis eo animo ac intentione dat mutuum, ut acquirat lucrum ex mutuo tanquam ex justitia debitum in compensationem illius, quamvis nullo interveniente pacto expresso vel tacito de *Lucro*. Quare *usura mentalis* non sumitur hic pro sola voluntate committendi *usuram*, prout praecindit ab omni actu externo (tale enim propositum potius est, & dicitur *usura interna*, quam *usura mentalis*) sed accipitur pro actu externo, quo mutuum datur cum spe & intentione accipiendi lucrum ex mutuo, quamvis sine nullo pacto externo arg. c. *Consuluit. h. t.* atque in simili explicavimus supra Tit. III. n. 15. & 16. *Simoniam mentalem*. *Usura Realis* contra est, quando quis mutat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem lucrum ex mutuo. Navarrus de *usuris. nu. 12. & Doctores* communiter.

Deinde *usura realis* dividitur in *expressam, & tacitam*, seu *palliata*. *Expressa* seu *formalis* & manifesta *usura* est, quando expressè exigitur pretium pro mutuo v. g. mutuo tibi centum florenos, eo pacto, ut post annum reddas mihi centum, & tot vel tot ultra. *Usura palliata* seu *virtualis* est, quae non committitur vi contractus mutui formalis & expressi, sed alterius contractus nomine ac specie veluti *pallio* occultati: ut si Mercator ob solam dilationem solutionis pretii (secus si id fieret ratione lucri cessantis vel damni emergentis &c.) merces multò carius venderet; nam hoc in re aliud non esset, quam Emptori mutuum dare pecuniam, post aliquod tempus cum auctario recipiendam, quòd reprobatur c. *In Civitate. de usuris*.

Tertio, *Usurae* dividi possunt pro diversè earum taxatione & moderatione. Hinc alicubi dicitur *Centesima*, aliae *Bessales*, *Semissae*, *Quintances*, *Quadrantes*, *Trientes*, prout appellantur l. *Eos qui C. de usuris*, & alibi. Caeterum quidnam sit *Usura Centesima*? juxta quam caeterae suam fununt interpretationem, variant Doctores. Et quidem Vallensis h. t. §. 2. n. 4. notat, quòd vetres solebant stipulari *usuras* in singulos menses: & quòd *Centesima usura* fuerit illa, quando pro centum quolibet anno solvabantur duo decim, ita ut singulis mensibusolverentur pro centum florenis singuli floreni. Unde quia *Bessales Usurae* sunt bes, seu octo unciae *Centesima Usurae*; & *Usurae Semissae* sunt pars dimidia; *Quintances*, quinque ejus unciae sive partes, & *quadrantes* quatuor, trientes, tres: mox patebit, quantum juxta hanc supputationem faciant, seu reddant dictae *usurae* per singulos annos: nam illae reddunt octo pro centum, illae verò sex, & quinque, quatuor, tria &c.

Econtra Hostiensis, & cum ea Fagnanus in c. *Noviganti. h. t. n. 6. item Gl. in l. eos qui C. de usuris. v. Tertiam partem*, & alibi, atque eam Vocabularium Juris v. *Usuras*, docent, quòd secundum Jus commune *Usura Centesima* sit ea, quae infra annum aequiparatur sorti. Quae quidem interpretatio fundatur in l. *Nihil intersit. ff. de Fomere nautico*, ibi: *Ad finem non ultra duplum centesima debetur*. Ubi Glossa ait: *Duplum connumerat summam sortis cum usuris in fine anni.* Unde juxta hanc supputationem etiam aliae *usurae*, de quibus fit mentio in Jure Civili, reddunt magnam quantitatem videlicet *Bessales* pro centum sexaginta sex; *Semissae* quinquaginta, & sic loquendo de caeteris. Clarus loquitur Glossa in *Aurb. de Alienat. v. Centesima*, ibi: *Centesima dicitur, quae anno sortis aequiparatur, quasi rotunda, ut centenarius numerus est rotundus.* Quarta *Centesima* ergo dicitur, quae quatuor annis aequiparatur: & sic si bene computes, facit

facit quinque denarios pro qualibet libra, & quolibet menie. Adde Glossam, Auth. Hoc jus porrectum v. Centesima. de SS. Ecclesiis.

10 Quarto: Usurae aliae simplices, aliae usurae usurarum vocantur: Simples sunt, de quibus haecenus diximus. Usurae usurarum vero, quae ex usura seu lucro usurario non soluto, seu novâ forte exiguntur, ut dum quis v.g. 1000. florenos, pro 50. annuatim solvendis in mutuum dat, & de istis 50. florenis debito tempore non solutis seu summa Capitali, præter priorem novâ usuras v.g. unum florenum cum dimidio annuatim exigit, de qua usura magis infra §. seq. à n. 26.

11 Denique usurae aliae sunt, & vocantur compensatoriae; aliae lucratoriae. Usurae compensatoriae dicuntur, in quibus pactum fuit de solvenda ultra fortem pecuniâ, vel alia re pretio aestimabili, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, aut ratione periculi, laboris, seu expensarum, quae probabiliter subeunda erant in mutuo recuperando. Et haec usurae sunt licitae; quia id, quod datur ultra fortem principalem, non datur præcisè ratione mutui, sed ex alio iusto titulo, ac per modum cuiusdam Interesse, ut amplius infra indicabimus §. IV. Agendo de Titulis excusantibus ab usura illicitâ. Usurae punitoriae sunt, in quibus pactum fit de subeunda poena, v.g. pecuniariâ ultra fortem præstandâ, si mutuatarius in mora fuerit, non reddendo mutuum tempore statuto. Usura lucratoriae dicuntur, quae continent aliquod lucrum temporale, causâ & nomine solius mutui principaliter exactum. Et de hisce lucratoriis, tanquam propriis usuris ex professo hic loquimur, si-mulque de eisdem intelligendi sunt quando absolute loquuntur de usuris Doctores.

12 De Compensatoriis seu restauratoriis autem, & punitoriis seu moratoriis usuris utpote plerumque licitis, adeoque minus propriis, specialis §§. institutus infra, postquam de lucratoriis seu propriis sufficienter egimus.

§. II.

De Prohibitione, & Malitiâ Usurae propriæ dictæ seu lucratoriae.

S U M M A R I U M.

- 13 Usurae sunt prohibitae Jure Ecclesiastico,
- 14 Et Divino.
- 15 Solvitur instantia.
- 16 Sunt etiam prohibitae Jure naturali.
- 17 Probatur ratiõne.
- 18 Solvitur instantia: Et tribus num. seqq.
- 22 Proponitur, & solvitur objectio ex Scriptura: Et duobus num. seqq.
- 25 Nemo censetur omnino liberè solvere Usuras.
- 26 Usurae usurarum prohibitae sunt Jure Divino, & humano Ecclesiastico.
- 27 Ac etiam Civili.
- 28 Ita, ut nondum soluta nulla stipulatione licite aut debite fieri valeant, ac vi stipulationis soluta repeti rursus possint.
- 29 Si sunt Lucratoriae; imò etiam Compensatoriae de Jure Civili: non item Divino.
- 30 Postquam Usurae jam sunt solutae de Jure Civili denuo dari mutuo per modum sortis pro nova Usura non prohibentur.
- 31 Bene verò de Jure Divino, & Ecclesiastico, si sunt Lucratoriae.
- 32 Objicitur, & solvitur objectio, ac n. seq.

Quæritur I. An & quo Jure Usura, seu lucrum ex mutuo immediate proveniens, sint prohibita? Resp. Certum est. Usuras non tantum Jure humano Ecclesiastico, sed etiam Divino prohibitas esse. Ita commisit Catholicorum Doctorum, contra Carolum Molinæum Tract. de Commercialibus. 7. & 11. moderatas usuras tanquam licitas admittentem. Et quidem prima pars de Jure Ecclesiastico passim constat ex SS. Canonibus, ut can. quoniam. 2. dist. 37. can. Apost. 43. Concil. Nicæn. cap. 18. Item ex cunctis Decretis, Constitutionibus, Rescriptis Pontificiis, tam quinti, quam sexti Decretalium, & Clementinarum, h. t. Ubi non solum usurae sub gravissimis poenis infra enumerandis prohibentur, sed etiam c. Super eo h. t. expressè dicitur, quod usurarum Crimen utriusque Testamenti pagina detestetur. Quin imò pertinaciter asserens, exercere usuras non esse peccatum, veluti Haereticus puniendus est, ut habetur in Clem. un. de usuris, ibi: Si quis in illum errorem incidit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus cum ut Haereticum puniendum.

Altera verò pars de Jure Divino clarè desumitur ex S. Scriptura. Nam Levitici cap. 25. dicitur: Ne accipias usuras ab eo, neque amplius quam dedisti. Et infra: Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram. Item Psalm. 14. laudatur, qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Similiter Ex. ch. cap. 18. dicitur inter alia, quae ad virum justum requiruntur: Si usurum & superabundantiam non acceperit. Econtra verò ibidem numerat Propheta inter Peccatores, ad usuram dantem, & amplius accipientem. Item ibid. Quod si genuerit filium ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet, non vivet. & Psalm. 54. Vidi iniquitatem in civitate; non defecit in plateis ejus usura, & dolus. Tandem ut plures similes auctoritates onstantur, implemet Christus Dominus Luc. 6. ait: Bene facite, & mutuum date, nihil inde sperantes. Quae verba licet quoad primam partem continent consilium, quoad posteriorem verò continent præceptum, atque excludunt etiam usuram mentalem, prout patet ex aliis S. Scripturae locis: ubi similis textus habetur, v. g. Psalm. 75. ibi: Vovete, & reddite Domino Deo vestro; ubi prima pars consilium; secunda verò præceptum continet.

Nec obstat Parabolâ à Christo Domino adducta Luc. 9. ubi sermo nequam recondenti pecuniam in sudario suo exprobravit Paterfamilias, quod eam non dederit nummulariis, hæc additâ ratiõne: Et ego veniens cum usuris exegissem eam, id est, pecuniam mutuam. Resp. enim D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. Usuram ibi fuit metaphoricè seu parabolicè pro augmento & super excresecientia bonorum Spiritualium, seu bonâ applicatione talentorum nobis à Deo concessorum. Vel dic, illud in parabolis esse à Christo Domino propositum: & sicut alibi per parabolam Villici iniquitatis, & fraudantis Dominum suum Luc. 16. Christus nos excitavit, ut faceremus nobis amicos in Coelis de Mammona iniquitatis, neutiquam tamen permisit fraudes; ita & hic ex facto hominum mundanorum nos commonefecit ad procreandas nobis spirituales usuras, semper in nobis proficiendo, non tamen idcirco usuras mundanas approbavit.

Quæritur II. An usurae sint etiam Jure naturali illicitae ac prohibita? Resp. Affirmativè; idque tenent Doctores communiter. Siquidem Patres, Concilia, ac SS. Pontifices passim probant de veteri testamento usuras esse illicitas, atque hæc probatio non subsisteret, nisi usurae Jure naturali essent illicitae,

citæ, cum præcepta Cærimonialia, & Judicialia veteris Legis non amplius obligent post Christi mortem, sed moralia tantum, quae ad Decalogum spectant, & Jure naturali obligant. Hinc neque Papa potest dispensare in usuris, ut dicitur c. Super eo. h. t. ibi: Cum usurarum Crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia, cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita Capitali, usurarum crimine involvatur. Nota ly multo magis; ergo non minus ac mendacium usura est Jure naturali prohibita.

Ratio etiam hujus est, quam asserit Doctor subtilis q. dist. 15. q. un. §. De secundo Articulo v. De ultimo contractu &c. Quia dum exigitur usura seu lucrum ex mutuo, vel exigitur lucrum pro ipsa sorte principali, vel pro usu ejus; sed neutram absque injustitia fieri potest; ergo. Min. probatur. Nam imprimis non potest exigi lucrum ex mutuo pro ipsa sorte, quia justitia commutativa desiderat æqualitatem in contrahentibus, neque permittit, ut idem bis vel sæpius teneatur quis restituere: atqui si hodie 100. floreni mutuo accipiuntur, & post annum centum restituantur, habetur dicta æqualitas; ergo justitiæ repugnans quod teneatur quis restituere aliquid ultra centum, aut succedentibus temporibus bis centum & amplius.

Neque potest dici, quod in mutuo pro usu sortis, v. g. pecunie mutuatæ possit exigi lucrum; quia usus seu utilitas rei pertinet ad Dominum; atqui mutuatarius vi mutui factus est Dominus rei mutuatæ (mutuum enim idem appellatur, quod de meo tuum fit, ut habetur l. 2. ff. Si certum petatur) ergo contrariatur justitiæ, quod mutuatarius teneatur mutuantem quid solvere pro usu rei mutuatæ, utpote ad se jam spectantis, & non amplius ad mutuantem. Uno verbo, Exigens usuras, vel petit eandem rem sibi sæpius restituere, vel exigit aliud pro eo, quod non est suum: horum autem quodlibet continet manifestam injustitiam, & repugnat Juri naturali; ergo.

Confirmatur. Pecunia, frumentum, vitium, & aliae hujusmodi res, in quibus mutuum consistit, sunt in usu se ipsis ac insufragiliter; ergo injustum est, pro earum usu, seu fructu aliquid exigere. Aut. probatur. Res frugifera dicitur, ex qua permanente usus vel fructus, seu commoditas percipi, atque ab ea separari potest, veluti inhabitatio ex domo, fructus ex agro, lac ac vitulus ex vacca. Atqui hoc non fit in pecunia, frumento, vino, ac similibus rebus fungibilibus, seu quae ipso usu consumuntur, ut patet & habetur etiam l. Ad Senatûs consulum. ff. De usufructu earum rerum, quae usu absumuntur; ergo. Hinc etiam Aristoteles lumine naturali edocuit lib. 1. Politic. c. 7. ait: Maxime præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in senore nummus nummum pariat.

Ex proximè dictis patet etiam ratio, cur in locatione possit exigi lucrum, non verò in mutuo; Dispartas enim maxima est; quia imprimis locatio est talium rerum, in quibus usus rei non est ipsamet absumptio rei, sed quæ permanentem usum atque utilitatem afferunt; at patet in locatione donis, agri, equi ad equitandum, & hujusmodi. Secus fit in mutuo, quod non nisi in rebus fungibilibus, seu usu consumptibilibus consistit, v. g. in pecunia, vino, frumento, & similibus; & cum horum usus (intellige de usu juris, non de simplicis usu facti) separari nequeat à re ipsa, ejusque dominio, non nisi injustè aliud pretium exigereur pro re ipsa ejusque dominio, aliud pro usu ipsius.

Deinde in contractu locationis manet locator

adhuc dominus rei locatæ, ejusque retinet dominium, l. non solet. ff. locati. & consequenter utilitas rei locatæ etiam ipsam respicere debet, secus est in mutuo, ubi ex meo tuum fit, & mutuanus non amplius retinet dominium rei mutuatæ. Unde patet, quod mutuum ex natura sua potest fieri gratis, id est, non plus petendo vi mutui, ac datum est, prout amplius declarabimus infra §. 4. & seqq.

Objicies autem primò, contra haecenus dicta. Deus concessit olim Judæis usuras, Deuter. 23. dicens: Non saneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno; ergo usurae non sunt intrinsecè male, neque prohibitae Jure naturali, cum in hoc nequeat Deus dispensare, ut patet in mendacio. Resp. Doctores dupliciter. Et primò quidem dicunt cum D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 1. Judæis non fuisse ibi concessum exercere usuras erga alienigenas tanquam licitum, sed duntaxat permissum tanquam minus malum, & ad evitandum majus malum; ne scilicet à suis fratribus indigentibus usuras extorquerent, cum fuerint multum avaritiæ dediti.

Nec obstat, quod usurarum exactio videatur Judæis Deum colentibus permitti in præmium. Deuter. 28. Foverabis gentibus multis, & ipse à multo sanus accipies. Resp. enim citatus D. Angelicus, ibidem Fovus largè accipi pro mutuo; promittitur enim Judæis in præmium abundantis divitiarum, ex qua contingit, quod aliis mutare possint.

Secundò, & ut arbitror melius, respondent alii, Judæis fuisse licitum exercere usuras erga alienigenas utpote hostes suos, & eo modo, quo eis concessum fuit Exodus 12. Ut Ægyptios spoliarent vasibus aureis & argenteis, ac vestibus pretiosis sibi commodatis: quatenus nempe Deus, qui est universorum Dominus, dedit Judæis dominium in bona Ægyptiorum injustè se gravantium, atque in alia bona Alienigenarum utpote hostium suorum, quos proinde justè poterant spoliare rebus suis per usuras ratione mutui dati, cum res illæ jam fuerint suæ ratione domini sibi à Deo concessi. Unde sicut Judæi spoliando Ægyptum reverè non commiserunt furtum, ita neque perpetrarunt usuram accipiendo sanus pro mutuo ab alienigenis. Concordat textus can. Ab illo. 10. quest. 4. ubi D. Ambrosius refertur dicens: Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicet, qui usuram flagitat. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usurae.

Objicies secundò: Usuras exercens nemini infert injuriam, aut dolum; ergo nullam committit injustitiam. Aut. patet: quia usura, seu lucrum usurarum à mutuatario volente, & liberè consentiente promittuntur, ac solvantur; Scienti autem non fit injuria, neque dolum, c. Sciens. 27. de Reg. Jur. in 6. Cum Concordantis. Resp. negando. Aut. Ad probationem dico, mutuatarium non omnino liberè, sed invitum, & quodammodo coactum solvere, eò quod mutuum, quo nec cessatò indiget, obtinere non valeat, nisi usuras nullo titulo debitas solvat; qui alias suum sponte & liberè jaclare non præsumitur, l. Cum de indebito. ff. de Probat.

Quæritur III. De usuris usurarum in specie an, & qualiter sint prohibita? Quid sint usurae usurarum? notum suppone ex dictis supra nu. 10. Quo supposito, Resp. I. Usurae usurarum lucratoriae non solum Jure Divino naturali, & Ecclesiastico, sed etiam Civili sunt prohibita. Prima pars de Jure Divino naturali, & Ecclesiastico patet ex dictis supra à n. 13. Cum enim præfatio Jure simplicis usurae lucratoriae sit prohibita, multò magis prohibita erunt usurae usurarum lucratoriae, utpote duplicem iniquitatem usura-

usurariam de forte scilicet, & de usura importan-
tes prohibita erunt.

27 Altera pars de Jure Civili tenetur etiam ab om-
nibus & clarissime patet ex diversis Juris textibus,
ut l. Placuit 20. ff. h. t. l. Improbium 20. C. Ex qui-
bus causis infamia irrogetur, ibi: Improbium senus
exercitibus, & usuras usurarum illicitè exigentibus
infamie macula irroganda est. Item l. Ut nullo modo.
28. C. h. t. ibi: ut nullo modo usurae usurarum à de-
linquentibus exigantur, & veteribus quidem Legibus
constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum &c.
Quapropter hinc aperitissima lege definimus, nullo mo-
do licere cuiquam usuras præteriti temporis vel futuri,
in sortem redigere, & eas iterum usuras stipu-
lari, sed & si hoc fuerit subsecutum, usuras semper
usuras manere, & nullum usurarum aliarum incre-
mentum sentire; fortis autem antiquè tantummodo in-
crementum usurarum accedere.

28 Resp. II. Usurae usurarum lucratorie necdum solu-
tae, omni etiam Civili Jure adeò sunt prohibita,
ut neque per specialem stipulationem, & credendi
modum in sortem seu summam Capitalet redigi,
& de his novae usurae, siquae usurae usurarum exigi
possint, v. g. nec licita, nec valida est stipulatio,
vel credendi modus sequens (qui dicitur Anacis-
mus) quo Creditor dicit: usuram 50. florenorum,
quam de mille florenis creditis debitam hoc anno
non solvisti, tibi etiam mutuo dabo vel relinquam,
ita tamen ut in sortem redigatur, & de illa quo-
que proportionata annuatim reddatur usura, vide-
licet duo floreni cum dimidio, etiam si debitor annuatim,
& promittat; vel ipsemet talem stipulationem
cum Creditore inchoet, & perficiat: unde est ta-
lem stipulationem debitor faciat, tamen ad solven-
das usuras usurarum non tenetur; & si eas solvit
Conditione indebitè iterum repetere potest, ut con-
tra Moevium p. 4. Decisione 213. r. d. tenet Brunne-
man. in l. fin. C. de usuris. nu. 2. Roderic. de Redditi-
ana. lib. 3. cap. 7. n. 27. & alii, idque probant per
textum satis clarum l. Si non sortem. 26. ff. de Con-
ditione indebiti. §. 1. ibi: Usurarum usurae nec in
stipulationem deduci nec exigi possunt, & solutae repe-
tuntur, quemadmodum futurarum usurarum usurae.
Item per Jura supra nu. 27. citata, praesertim verò
per textum l. ut nullo modo 28. C. h. t. ibidem alle-
gatum, ut legenti patet, omnes ingeniosae avaritiae,
& ambages stipulantium & exigentium usurae usura-
rum manifestè sublatae sunt.

29 Dicitur autem notantur in utraque Conclusio-
ne, usurarum usurae lucratorie: quia usurae usura-
rum compensatorie, seu restauratorie ob lucrum
cessans, vel damnum emergens &c. Juri Divino
naturali adversari non videntur, juxta dicenda
infra §. 4. bene tamen Juri Civili, cum leges ad
usuras usurarum penitus delendas prorsus nullam
casum exigendi usuras usurarum admittant, per
leges & textus supra n. 27. citatos, & l. Sancimus.
3. C. de usuris rei judicate. ibi: Cum enim jam con-
stitutum, usuras usurarum penitus delendas, nul-
lum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machi-
natio possit induci.

30 Dicitur ulterius in conclusione num. 28. posita,
usurae lucratorie necdum solutae; quia postquam
mutuata ius usuras pro sorte pactas, v. g. 50. pro
1000. florenis acta jam solvit, Creditor dictos 50.
florenos tanquam sortem, seu summam Capitalet
novam eidem Debitori denuo mutuos dare, & ab
eis tanquam à forte usuras exigere de Jure Civili
non prohibetur. Ratio est; quia in tali casu usurae
jam solutae, & rursus mutuo date exiunt natu-
ram usurae, & inducunt veram naturam sortis prin-
cipalis, est eidem mutuo dentur; cum non appareat,
cur hujusmodi usurae jam solutae alteri tanquam fors

principalis, mutuo dari non possint, & non eidem,
qui eas prius solvit.

Verum quamvis hujusmodi usuras jam solutas, 31
eidem tanquam sortem principalem demum mutuo
dare, & ab eis usuras exigere non prohibetur de
Jure Civili, prohibetur tamen Jure Divino, & Ec-
clesiastico, si sunt lucratorie, per dicta supra d. n. 13.
Secus si sunt compensatorie, aut punitoriae.

Sed objicies contra conclusionem nu. 28. posi- 32
tam; juxta dicta est licitum de Jure Civili usuras
jam solutas eidem tanquam sortem principalem de-
nuo dare mutuo, & ab ea usuras exigere; ergo li-
cebit etiam easdem usuras jam solutas, & nondum
solutas Debitori relinquere, ac tanquam novam
sortem brevi manu, ut vocant, credere, seu mu-
tuo dare, atque usuras novas inde exigere: cum
non appareat, cur prius & non etiam istud post-
erior liceat. Resp. concessio Ant. negando conse-
quentiam, & paritatem; quia tam ex parte Credito-
ris, quam Debitoris magnum discrimen est inter
hos duos casus; cum Creditor pecuniam non-
dum visam longè facilius mutuo det, seu potius
relinquat pro novis usuras usurarum promittere,
quam usuras simplices, actu solvere. Ob quam
causam debitores usuris faciliè opprimerentur, ut
bene observat Brunneinan. in l. fin. C. h. t. numer.
2. & alii.

Objicies secundò. Quando quis ad solvendas cer- 33
tas usuras condemnatus, praefixo tempore illas non
solvit, potest Creditor de Jure ab illo tempore
de hujusmodi usuris quasi in sortem redactis nov-
as usuras exigere, prout teste Fagnano de Er-
roribus pragmat. Decad. 20. Errore 1. passim voluit
Pragmatici; ergo possunt etiam usurae nondum solu-
tae debitori rursus credi, & ab eis in sortem
redactis usurae exigi. Resp. negando antecedens;
quia est aliquis tam ad usuras, quam ad for-
tem principalem certo tempore condemnatur, tam-
en elapso termino solum de forte, minime verò
de usuris nondum solutis novas usuras solvere
de Jure Civili adigitur, prout clarè sancitum
habetur l. Sancimus. 3. princ. C. de usuris vel judi-
catae, ibi: Sancimus, si quis condemnatus fuerit post
datus à nobis quadringentes inducias centesimas
quidem usuras secundum naturam judicati eum com-
pelli solvere, sed antummodo sortis, & non usura-
rum, quae ex pristino contractu in condemnationem
deducta sunt. Cum enim jam constitutum usura-
rum usuras penitus esse delendas, nullum casum
relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit
induci.

§. III.

An, & quomodo de Jure Civili, vel au-
thoritate Principis, vel statuto, aut con-
suetudine usurae proprie tales, seu Lucra-
toriae de facto sint, aut fieri possint lici-
tae? ubi etiam in specie de consuetudi-
ne Germaniae, dandi & exigendi quin-
que pro centum, nullo attentò, vel de-
siderato titulo.

S U M M A R I U M.

- 34 In hoc Paragrapho non est questio de usuris usu-
rarum, sed simplicibus.
- 35 Usurae proprie tales an sint prohibita Jure Ci-
vili? ubi varie sunt Doctorum sententiae: Et nu-
mer. seq.
- 36 Sententia affirmativa proponitur.

- 37 Et impugnatur.
- 38 Alii volunt per Leges Civiles tantum tolerari,
non item approbari usuram.
- 39 Impugnatur hoc doctrina.
- 40 Alii docent, Jure Civili tantum permitti usuras
compensatorias, non verò lucratorias.
- 41 Etiam haec doctrina refutatur.
- 42 Juxta alios, Leges Civiles permittentes usuram
fundantur in praesumptione justitiae.
- 43 Certum est, quòd si usurae per Leges Civiles
sint permittae, ut videtur, per Canones fuerint
corredae.
- 44 Utrum au horitate supremi Principis per novam
legem licite fieri possint usurae? proponitur ratio
dubitandi.
- 45 Et affirmandi.
- 46 Supremus legislator potest condere legem, ne ex-
cedatur in usuris, nullo autem modo potest eas
facere licitas.
- 47 Probatur ratiõne.
- 48 Respondetur ad rationes in contrarium.
- 49 Praesertim ad desumptam à paritate in praescrip-
tione.
- 50 Solvitur alia obiectio.
- 51 Objiciuntur Re usus Imperii.
- 52 Respondetur ad illos, & ex istis probatur Con-
clusio.
- 53 Respondetur ad consuetudinem Germaniae usuram
quinque pro centum exigentem, usque ad finem
hujus §.
- 54 Nulla consuetudine usurae potest reddi licita.
- 55 Praxis & consuetudo Germaniae, ubi quinque an-
nuatim exiguntur pro centum mutuo datis, vali-
da est in utroque Foro, casu quo intervenit lu-
crum cessans, vel damnum emergens, aut peri-
culum sortis.
- 56 Imò in foro externo valet abque omni justo ti-
tulo.
- 57 Non item in foro interno, juxta plerisque Do-
ctores.
- 58 Cum nec vigore consuetudinis,
- 59 Nec auctoritate supremi Principis.
- 60 Consequenter nulla ratione id licitum fieri possit in
foro interno.
- 61 Nec tamen exinde sequitur, quòd propter inno-
meri Germani versentur in statu peccati mortali-
tis: Et n. seq.
- 62 Bene verò aliquid, juxta communem Doctorum.
- 63 Quibus etiam probabilis non videtur sententia pra-
xis Germaniae pro foro interno probans.

34 Notandum prius, hic tantum esse sermonem de
usuris lucrativis simplicibus, non verò de
usuris usurariis; quia has etiam Jure Civili peni-
tus esse prohibitas, jam satis ostendimus §. prece-
dent. à n. 26. H. N.

35 Queritur I. An usurae proprie tales, seu lu-
cratoriae de facto permittantur, & licite censentur
de Jure Civili. Ratio dubitandi, & affirmativam
tenendi desumitur in primis ex l. Placuit. ff. de
usuris. ibi: Placuit, licitas usuras posse peti. Con-
cordat l. Eos qui. C. eod. ubi juxta diversitatem
personarum variae stipulari dicuntur usurae centesi-
mae quidem in pecunia trajecticia, id est, ea, quae
trans mare trajectitur periculo mutuantis: Bessales
Mercatoribus; Trientes personis Illustribus; cae-
teris verò personis Semesses. Omitto alios textus
passim occurrentes in Jure Civili per integros Titu-
los de usuris, & de Foenore nautico.

36 Ante responsum nota, de mente juris Civi-
lis varias esse Doctorum sententias. Et quidem in-
primis Glossa in Auth. Ad hoc C. de usuris. v. Ca-
sat. post Joannem, & Azonem censet, quòd
Reiffensuel Jus Can. Tom. V.

quamvis de Jure Civili antiquo (propter textus
proximè relatos) secus fuerit, tamen jure novo
non solum in aliquibus, sed ex toto tollantur usurae.
Probatur hoc ex Auth. de Ecclesiasticis titulis §.
1. ubi Justinianus Imperator decrevit, servandas
esse regulas sanctorum quatuor Conciliorum, est-
que vicem Legum obtinere: atqui usurae fuerunt
prohibita in Concilio Niceno, ut refertur c. quoniam.
dist. 47. Et ideò, cum Authentica illa fae-
rit de suis ultimis, videtur Justinianus jam quasi
poenituisse quòd alibi permisera: Nam poste-
riora prioribus derogant. Ita discurrit allegata
Glossa.

Sed contra hanc opinionem Glossa urget primo; 37
quia in locis n. 37. citatis expressè Julianus admit-
tit usuras; ergo non sufficit, quòd videtur easdem
in citata Authentica tacite revocare: siquidem ar-
gumentum, à tacito non procedit, quando contra-
rium est expressum; praevalet enim tunc expressum
contrario tacto, ut notat Covarravias l. 3. Va-
riar. Resolus. cap. 1. n. 6. apud P. Wagnerck ad Ru-
bricam h. t. circa finem. Accedit, quòd ideò Justinia-
nus rursus in Auth. de usuris nauticis (quae tamen
est posterior cit. Auth. de Ecclesiasticis titulis)
permittat usuras nauticas, atque in his antiquas
Leges perpetuò observari velit.

Alii volunt, Jure Civili esse quidem usuras per- 38
missas, in quantum eas non puniunt ad evitanda ma-
jora mala vel peccata, non tamen hoc jure esse effe-
approbatas tanquam licitas. Sicut in simili (in-
quirit) lupanaria alicubi permittuntur, seu tole-
rantur tanquam minus malum ad evitanda majora,
quae causabantur per Adulteria, Sodomiam, &
hujusmodi, non tamen approbantur tanquam li-
cita.

Sed contra hanc sententiam, pro qua nonnullos 39
Doctores tacito nomine citat Pith. h. t. n. 10. fortiter
urget; quia ad usuras exigendas Jure Civili con-
ceditur actio, dummodò per stipulationem earum
promissio facta probetur, ut habetur l. 1. C. de usu-
ris. & alibi: ergo non potest dici, quòd toleren-
tur solum.

Alii videntur velle, quòd à Jure Civili solum 40
permittantur usurae compensatoriae (id est modera-
tae ratione lucri cessantis, aut damni emergentis,
aut alterius justitiae) non autem usurae lucrato-
riae. Hinc L. flius lib. 2. cap. 32. ait, quòd ad Ju-
ris consultos attinet, puto eos facillè intellexisse usurae
formaliter esse illicitas, tamen concessisse qual-
dam moderatas, tum ob bonum commune, tum
quia saepe alii qui justitiae tituli interveniunt, de quibus
plura inferius.

Sed contra urget: quia haec responsio vix potest 41
quadrare legibus Juris Civili, usuram centesimam
accipiamus in sensu Glossae, & Fagnani 9. decla-
rato. Nam cum juxta l. Eos qui. C. de usuris, com-
munibus hominibus permittatur stipulari usuras se-
missas (ut alios hominum status ibidem expressos ta-
ceamus) quis credat homines vulgares solvere
per annum suam pecuniam lucrari quinquaginta pro
centum.

Aliud dici potest de illis legibus, quibus per mo- 42
dum Interest permittuntur quinque tantum pro cen-
tum; idque ex praesumptione lucri cessantis, aut
damni emergentis, prout Anno 1600. sub Rudol-
pho II. fuisse permittum, inter alios ostendit Engel-
h. t. nu. 10. Siquidem quilibet facillè potest annua-
tim ex centum lucrari quinque, si pecuniam emen-
dis praediis, vel alteri honesto negotio applicet.
Verum tamen, licet quilibet juxta dictam modera-
tionem exigens usuras in Foro externo, & quan-
tum ad incurrendas poenas ejus non censetur usura-
rius, nihilo minus cur, & sub quibus tantum condi-
tionibus

tionibus illud sit licitum in Foro conscientie & coram Deo, ubi non ex presumptione, sed ex veritate proceditur? dicitur infra. Quare dimissis aliorum opinionibus,

43 Resp. Quamvis spectando genuinum diversarum legum sensum *usura lucrativæ* videantur non solum toleratæ, sed etiam positive permixtæ, & quasi approbatæ per leges supra allegatas, uti & per alias passim ff. *C. h. t. contentas*; tamen vigore dicti *Foro* sunt licitæ ex eo, quod Jus Civile quoad *usuras* ab ipso permixtas sit correctum per Jus Canonicum. Siquidem *usuras* esse illicitas, habetur tam ex pluribus Canonibus *cau. 14. q. 3. & 4. relatis*, atque ex textibus hoc Titulo passim occurrentibus: Tum præsertim ex *Clem. un. h. t.* ubi sub pena Excommunicationis reprobantur quæcunque statuta, in *offensam Dei, & proximi* & contra *Jura Divina pariter & humana usurarum approbantia quodammodo privitatem*. Quinimo subditur ibidem, quod pertinaciter asserens, exercere *usuras*, non esse peccatum, sit puniendus ut *hereticus*, juxta dicta *nu. 13.* Patet autem, ut amplius diximus in Proemio §. 12. n. 17. quod in his, quæ agunt de evitando peccato, seu concernunt salutem animarum, Jus Canonicum sit observandum in omni Foro. Et hæc sententia dicens, *usuras* à Jure Civili olim positive fuisse permixtas, est communior inter Doctores. Quod autem casu, quo fuerint permixtæ, à Jure Canonico fuerint correctæ, consequenter pro nullo Foro amplius valeant, est communissima, ac videtur certa, per *Jura* allegata.

44 Queritur II. Utrum autoritate supremi Legislatoris Civili per novam legem universalem, vel autoritate alterius Principis per statutum locale in suo territorio possint *usuræ* reddi licitæ? Ratio dubitandi est; quia Imperator, aut alius Princeps Supremus potest per commune statutum, legem, aut etiam rescritum, ex causa justa & publica auferre Jus alicujus privati, ac illud transferre in tertium; ergo id etiam poterit fieri per legem communem de concessione *moderatarum usurarum* ratione *mutui* statutam, transferendo sic bona unius in alium. *Ant.* paret; quia sic fit in lege communiter lata de *prescriptione*, utpote per quam certo tempore transfertur dominium rerum legitime præscriptarum ab uno ad alterum: quæ lex etiam habet locum pro Foro conscientie, estque recepta à Jure Canonico *Tit. de Prescriptione*.

45 *Consequentia* verò probatur: Quia justa causa auferendi jus alicujus privati est favor publicus; *arg. l. Lucius. ff. de Evictionibus*; atque ex communi docet Fagnanus in *c. Quæ in Ecclesiis de Constitut. num. 119.* pluribus id probans: Atqui ille favor publicus habetur etiam in *moderatis usuris*, hoc ipso, quod dare & accipere *mutuum* summa sit necessarium pro bono communi; quod *mutuum* tamen plerumque etiam in casu magnæ necessitatis proximi non obtineretur, nisi promitterentur, & darentur *usuræ*; ut patet experientia; ergo. Quibus non obstantibus,

46 Resp. I. Quamvis à potestate seculari fieri possit, & facta valeat lex statuens pro vitando majori malo certum modum *usuris*; non quodd inde *usuræ* licitæ reddantur, sed ne *usurarii* sub aliquo prætextu nimium à debitoribus extorqueant, uti cum communi Doctorem tradit Engel *h. t. num. 10.* & ubique controversia caret; Nequit tamen ab illo legislatore humano sive seculari, sive Ecclesiastico etiam Papâ fieri lex communis aut statutum, quo *usuræ* reddantur licitæ. Communissima, & certa Doctorem. Ratio clara est; quia *usuræ* sunt

Jure Divino ac naturali prohibite & consequenter non possunt ullâ lege humanâ permitti; cum inferior non possit dispensare in lege superioris, prout etiam notavit Glossa in *Auth. Ad hæc. C. de usuris*. Et hinc rectè ait Pontifex *c. Super eo. h. t.* Super *usuris nullam posse dari dispensationem*. Ratio superior de legislatoribus secularibus est; quia hi, præterquam, quod nequeant quidquam statuere contra legem Divinam; etiam legi Pontificæ nil contrarium concedere valent, sed eadem se accommodare, & necessariò obedire tenentur in his, quæ continent peccatum, *can. 1. & seqq. dist. 10. c. Inferior. q. de Majori, & obediens. maxime verò si secundum se & ex objecto suo sunt mala*. Molina de *I. & I. Disp. 304. Tholof. lib. 2. de Usuris. n. 3.*

Confirmatur: Leges illæ, quæ inæqualiter onera Communitatis dispensant, sunt injustæ, quamvis ordinentur ad bonum commune, prout passim fatentur Doctores cum D. Thoma *1. 2. q. 96. art. 4.* Tales autem sunt leges *usurarum*, utpote quibus præcipue gravantur pauperes, atque pecuniis subito indigentes, ergo. Quin imò *usuræ* vergunt in grave damnum Republicæ, cum absorbeant egentium fortunas, cum hi in necessitate constituti (*usuris* semel per leges approbatis) pecuniam à Fœneratoribus non nisi sub pacto *usurarum* solvendarum acquirere possunt, & hæc solvendo sensim in summam egestatem delabuntur.

Ad rationes dubitandi *n. 44. & 45.* relatas patet responsio ex proxime dictis; Negatur enim *consequentia* cum sua probatione: siquidem translatio domini rerum privatarum ab uno in alterum facta mediante aliquâ lege communi *usuras* approbante, non tenderet in bonum commune Republicæ; imò vergeret in grave damnum ipsius: ac præcipue pauperum magno numero in communitatibus existentium. Quod ipsum tum ex Jure Divino, tum naturali *usuras* tantopere execrante, amplius liquet; nequam enim eas prohiberet, si earundem usus bono communi magis expediret.

Nec urget paritas de *prescriptione* per leges introducta: siquidem de justitia harum legum aliter constat; cum sint late pro conservanda communi pace & tranquillitate Republicæ, atque præcindendis infinitis litibus, quæ alioquin suboriri possent. Accedit, quod leges illæ æqualiter respiciant magnos & parvos, pauperes ac divites, omnesque alios, qui tempore per leges præscripto bona sua repetere neglexerunt. Secus est de *usuris*, ac legibus eas approbantibus.

Obijcies secundò pro *usuris. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus*, juxta *Reg. 27. Juris in 6.* cum Concordantiis; atqui dum ex pacto promittuntur *usuræ*, id fit à sciente & consentiente; ergo. Resp. Ad hoc argumentum jam patere ex dictis supra *num. 25.* Quibus adde, dictam Regulam Juris fallere, quando aliunde adest prohibitio, prout *usuræ* sunt prohibite Jure naturali ac Divino. Unde sicut Adulter non excusatur ab adulterio, quamvis dicat se adulterasse cum consensu mulieris ac viri ejus, ita dicendum in proposito. Alias objectiones asserit, ac solvit Doctor Angelicus *loc. cit.* earum tamen solutio patet ex dictis *n. 10. & 20.*

Obijcies tertio: ab actu ad potentiam est bona consequentia; sed de facto actu jam à supremis Principibus permixtæ, sicque licitæ censentur *usuræ* saltem *moderatae*, uti patet tam ex legibus antiquis supra *num. 13.* allegatis, quam ex novissimis Constitutionibus & Recessibus Romani Imperii in Comitibus Augustanis sub Maximiliano I. Anno 1500. & in aliis Augustanis sub Carolo V. Anno 1530. Item

Item in aliis Augustanis sub eodem Carolo V. Anno 1548. In Comitibus Spirensibus sub Maximiliano II. Anno 1570. Item ex aliis Spirensibus confirmatis à Rudolpho II. in quibus omnibus *usuræ* quinque florenorum pro centum sortis principalis, seu Summæ Capitalis permittuntur, & in pactum deductæ solvi jubentur; ergo. Resp. Antiquas leges Civiles esse intelligendas de *usuris compensatoriis*, non verò *lucratoriis*; vel si de his loquuntur, intelligi debent, quod ad majora mala evitanda *usuras* tolerent, & non puniant, vel quod modum imponant, ne excedatur; vel fundari in presumptione justii alicujus tituli; vel si contententur, iis absolute permitti & approbari *usuram lucrativam* quinque pro centum; esse correctas à Jure Canonico, utpote Juri Divino, & naturali contrarias, juxta amplius dicta supra à *n. 26.*

Pariter respondetur ad novas Constitutiones, & Recessus Imperii allegatos, videlicet eos esse intelligendos in aliquo ex dictis sensu, præcipue verò, quod partim modum statuunt in *usuris*, quæ per avaritiam hominum nimis excessive exigebantur: partim quod fundentur in presumptione tanti lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alterius justii tituli, prout clarissime patet ex textu *Recessus Spirensis sub Rudolpho II. post medium §. So viel nun*: ubi ita habetur: *So viel nun dißer nach der Vermuthung halber, das der Creditor sein Geld, von solcher Zeit an, anlegen, und zugelasener Weiff, zum wenigsten von hundert Gulden, suuff wohl haben möge*: quæ latine sic sonant: *Quantum jam ad presumptionem (cœcè) qualiter fundetur Recessus in presumptione, der Vermuthung halber) quod Creditor intra hoc tempus pecuniam suam negotiationi exponere, & licito modo ad minimum quinque pro centum obtinere possit*. Ex quibus verbis revera clare patet, novas Constitutiones & Recessus Imperiales fundari in presumptione justii tituli, intuitu cujus presumptionis quinque pro centum non tantum præmittunt, sed ut solvantur, si in pactum deducti sunt, actionem concedunt, quæ presumptioni justii tituli in conscientia minime juvat *usuras* quinque pro centum exigentem, si justus aliquis titulus præsumptus, in veritate non subsistit; quia in conscientia presumptio cedere debet veritati, *arg. c. Super hoc. 5. de Renuntiis. & l. Imperator. ff. de Probat.*

Obijcies quardò *Consuetudo est optima legum interpretis, c. Cum dilectus. 8. de Consuetud.* Atqui universalis praxis, & consuetudo saltem Germaniæ, ac in Romano Imperio habet, ut exigantur quinque pro centum etiam nullo existente lucro cessante vel damno emergente, vel alio justo titulo; ergo dicere non debemus, Constitutiones Civiles, præcipue verò novos Recessus Imperii præcisè fundari in presumptione justii tituli, sed absolute licitas approbare *usuras* saltem quinque pro centum, præsertim quia ipsi legislatores supremi activè & passivè has *usuras* prædicant, dant mutuos centum pro *usura* quinque florenorum, & solvendo aliis has *usuras* pro sorte principalis, seu summa Capitali, absque ulla indagatione alicujus tituli, per quod utique factis declarari videntur, legislatorum mentem & voluntatem esse quinque pro centum tanquam *usuras* ab eisdem permixtas absque ullo alio titulo licitè & validè accipi posse. Ad hanc objectionem patebit ex dicendis à *num. seq. usque ad finem.*

Queritur III. Num vigore consuetudinis validæ, ac licitæ reddi valeant *usuræ proprie tales*, seu *lucrativæ*? Resp. *Negative*. Ita communis Catholicorum teste Engel *h. t. n. 10.* contra Tannerum *Reffensuel Jus Can. Tom. V.*

nerum *Tom. 3. Disp. 7. dub. 3. n. 79.* & Haunoldum de *I. & I. Tom. 3. ir. 9. cap. 3. Controvers. 10. §. 8.* Ratio manifesta est; quia *usura lucrativa* est intrinsecè mala, Jurique Divino, ac naturali adversa, prout *n. 16.* dictum, ipsique fatentur, & solidè probant Tannerus, & Haunoldus, ille quidem *lo. cit. n. 75.* iste verò *lo. cit. §. 1. à n. 367.* Atqui consuetudo, quæ Juri Divino, & naturali adversatur, nec licita nec valida, sed irrationabilis abusus, & mera corruptela est, *c. fin. de Consuetud.* juxta unanimum Doctorem, & ipse quoque tradit Haunoldus in *Tract. Proemial. num. 123.* sed ulterius.

Queritur IV. Num licita, vel potius verè usurararia ac illicita sit praxis & consuetudo Germaniæ, in qua pro sorte principalis, seu summa Capitali centum florenorum passim & indistinctè sine ullo scrupulo exiguntur quinque floreni, quod *Interesse* vocant? Hæc quæstio est summè practica, & maximi momenti, ad quam proin, ut bene resolvatur, sufficienti cum distinctione præsertim inter Forum externum, & internum respondere oportet. Quare

Resp. I. Si Creditor ratione suæ pecuniæ mutuo datæ patitur lucrum cessans, vel damnum emergens, vel periculum sortis Principalis, utique licitè se poterit accommodare praxi Germaniæ, & accipere quinque pro centum. Hæc conclusio caret controversiâ, patebitque amplius ex dicendis §. *seq.*

Resp. II. In Foro externo non tantum licitum est pacisci, & exigere annuos quinque florenos pro sorte principalis, seu summa Capitali centum florenorum, sed datur etiam actio contra Debitorem illos solvere morantem, aut recusantem, etiamsi Creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum sortis Principalis nec alium justum titulum alleget. Unanims, & certa per Germaniam. Patetque quotidiana experientia, quæ constat, dictos annuos quinque florenos pro centum mutuo datis in pactum passim deduci, exigi, & dari, nec non actionem reperti, & acquiri, etiamsi nullus ex prædictis, vel aliis allegetur justus titulus. Ratio est; quia in Foro externo Germaniæ, si id sine titulo positive non conceditur, saltem præsumitur, adeffe unum ex præfatis, vel alium justum titulum exigentem annuos quinque florenos pro centum, & ex hac presumptione non tantum conceditur, quod absolute nulla pœnâ exigi valeant, sed etiam per Judicem mandatur, ut solvantur quinque pro centum mutuo datis, juxta dicta supra *n. 53.*

Resp. III. Loquendo de Foro interno conscientie, sicuti alibi, ita etiam in Germania, ac Romano Imperio verè *usurarum*, indeque illicitum, & graviter peccaminosum esse, annuatim exigere quinque florenos pro sorte principalis, seu summa Capitali centum florenorum mutuo datâ, si nec damnum emergens, nec lucrum cessans, nec periculum sortis intervenit; prout non intervenit, quando alias pecunia hujusmodi mutuo data sine negotiatione & lucro in dita Creditoris otiose jacens mansisset, plerique tenent Doctores, teste Engel *h. t. n. 10.* contra Tannerum *Tom. 3. disp. 4. q. 7. dub. 3. num. 79.* Haunoldum de *I. & I. Tom. 3. ir. 9. cap. 3. Controvers. 10. §. 4.* citantem etiam pro se Sâ, *§. Contractus num. 4.* Probant Conclusionem: si nullo ex præfatis existente justo titulo liceret in Foro conscientie annuatim exigere quinque florenos pro centum mutuo datis, tunc liceret vel vi consuetudinis, vel ob publicam autoritatem supremi Principis exsuprema, qua pollet potestate, & dominio alto, *Bb 2 ob*

ob bonum publicum id concedentis; alia enim iusta causa ab illicito excusans allegari non potest, nec aliam allegant Tannerus, & Haunoldus; atqui ob nullam harum causarum licet; ergo.

59 Non vi consuetudinis, quia certum apud omnes etiam Adversarios est, quod consuetudo, quæ adversatur Juri Divino, aut naturali, semper sit & maneat illicita ac invalida, juxta dicta supra num. 54. atqui nullo existente iusto titulo vi solius mutui exigere quinque pro centum Juri Divino, & naturali adversum, utpote usurarium est, per dicta supra n. 16. ergo.

60 Nec ob publicam auctoritatem supremi Principis id concedentis; quia supremi Principes id vel non absolute, sed tantum ex præsumptione iusti tituli concesserunt, juxta dicta n. 51. & 52. vel si per legem aliquam, vel Decretum absolute concesserunt, lex hujusmodi aut Decretum à Jure Canonico correctum est per dicta n. 36. Imò absque correctione ex se ipso nullum & irritum est; quia juxta dicta Principes etiam supremi sua potestate licitum facere non valent, quod est contra Jus Divinum & naturale, ut est usura.

61 Hinc si vera est hæc doctrina, quod supremi Principes sua potestate, & dominio quantumvis alto facere non possint, quod in Foro interno usura lucrativa sit licita, seu quod liceat vi solius mutui aliquid accipere ultra sortem, ut eam veram communis defendit Doctorum Catholicorum. Verum quoque erit (argumentantur tenentes Conclusionem n. 57.) quod loquendo de Foro interno etiam in Germania usurarium, & graviter peccaminosum sit, vi solius mutui nullo existente iusto titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, & periculi sortis quinque florenos tanquam Interesse, ut vocant, exigere, & accipere pro sorte principali, seu summâ Capitali centum florenorum: quia certum ac indubitatum videtur, quod vi solius consuetudinis quantumvis universalis, utpote Juri Divino & naturali adversæ, consequenter meræ corruptelæ id nullatenus liceat; consequenter; si nec auctoritate supremi Principis id licet, nullâ ratione licebit.

62 Obijcitur: Ex hac Conclusionem sequeretur, innumerum in Germania, ac Romano Imperio etiam præclaros, doctos, & Deum timentes viros, non tantum sæculares, sed etiam Ecclesiasticos versari in continuo statu peccati mortalis, utpote qui sine allegatione, & reflexione ullius lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis, imò nullo existente hujusmodi titulo, & per sufficientem hypothecam, pignus, fidejussionem plenè affecurati de sorte passim & liberè absque omni scrupulo quinque florenos pro summa Capitali, seu sorte principali centum florenorum mutuo datorum exigunt & accipiunt; atqui durum, quin & temerarium videtur, tot & tantas personas continui peccati mortalis condemnare, & praxin universalem sine scrupulo ubique in Germania vigentem, graviter peccaminosæ corruptelæ arguere. Hæc obiectio sanè non rarò satis anxium, & dubium me reddidit; cum enim ex una parte Communissimam Doctorum sententiam, solidaque rationis & Juris fundamenta praxi Germanicæ contraria considerarem; ex altera parte verò id, quod obiectio proponit, perperderem, timui profectò, ac etiamnum timeo super hæc categoricè respondere, indeque quantum potui, quæstionem hanc declinavi.

63 Nihilominus ad objectionem propositam responderi potest, negando sequelam: Tum, quia multi ex allegatis viris mutuum dantibus habent iustum titulum lucri cessantis, vel damni emergen-

tis, aut periculi sortis &c. Tum, quia multi præsertim Doctores loco veri mutui habere possunt & reverà habent intentionem emendi censum etiam ex utraque parte redimibilem, id est, jus percipiendi annuatim quinque ex rebus alterius pro pretio centum florenorum, juxta dicenda à n. 146. vel celebrandi tacitum aut expressum contractum societatis; quâ ratione in effectu idem habent, ac si mutuos centum pro quinque annuis darent, juxta dicenda infra n. 200. & 201. Tum, quia multi ex rudioribus & indoctis absque iusto titulo quinque pro centum exigentes habent ignorantiam invincibilem, & sunt in bona fide; consequenter verum non est, quod flante etiam veritate Conclusionis tot, & tanti in Germania mutuum dantes sint in statu peccati mortalis; prout amplius dicitur infra n. 200. & 201.

Cæterum si omnis iustus titulus, simulque ignorantia invincibilis, & bona fides abest, plerique Doctores juxta dicta n. 57. Communissima concedunt, omnes sive multi sive pauci sint, in statu peccati mortalis continuè versari, qui pro sorte principali, seu summâ Capitali centum florenorum exigunt usuram, seu Interesse, ut vocant, quinque florenorum.

Dices: Satis communis Theologorum tenet, 64 licitum esse sequi sententiam probabilem, religiose probabilior, atqui sententia dicens, in Germania, turâ conscientia annuatim posse accipi quinque pro centum mutuo datis, videtur saltem probabilis, cum eam teneant graves Doctores, Tannerus videlicet, Haunoldus, & Sà; ergo. Responderi potest, distinguendo Major. Si sententia aliqua verè est probabilis, licitum est, eam sequi, (saltem in materia honestatis) transire; si non est verè probabilis, sed tantum tenuiter talis, negatur Major; censent autem plerique Doctorum, quod sententia volens, licitum esse in Germania absque omni iusto titulo exigere quinque pro centum mutuo datis, non esse verè probabilem, utpote nullâ solidâ ratione, vel fundamento nitentem, juxta dicta supra à num. 57. ubi autem solida ratio & fundamentum deficit, sola Auctoritas Doctorum præsertim paucorum contra torrentem aliorum, ad veram probabilitatem non sufficit.

§. IV.

De Usura Compensatoria; seu Restauratoria, & de Titulis, ex quibus fit, & licita redditur, lucro videlicet cessante, damno emergente, & periculo perdendæ sortis.

S U M M A R I U M

- 65 Dantur iusti aliqui Tituli, ex quibus usura redditur licita.
- 66 Usura Compensatoria, seu Restauratoria quid?
- 67 Ob lucrum cessans, & damnum emergens, licet aliquid exigere ultra sortem principalem mutuo datam.
- 68 Idque non ut veram usuram, sed tanquam Interesse.
- 69 Ad quod tamen requiruntur quatuor conditiones: Et n. seq.
- 71 Non obstante ratione dubitandi.
- 72 Afferitur, licitum esse, ob periculum perdendæ sortis, ultra sortem aliquid exigere.
- 73 Respondetur variè ad rationem dubitandi. Et tribus n. seq.

77 In foro interno usurarius est, qui verè intendit lucrum ex mutuo, esse periculum in se suscipiat.

65 Quamvis ex hæcenus dictis certum sit, usuram, seu lucrum ex mutuo expresso aut tacito acceptum, esse illicitam, ac Jure tum naturali, tum Divino prohibitam: nihilominus quia dantur nonnulli alii tituli iusti, ex quibus rectè aliquid ultra sortem, seu summam capitalem mutuo datam accipitur, ut communiter tenent Doctores; de illis aliquos in præfati, & quidem illos, qui faciunt usuram compensatariam, alios verò in sequenti §. examinabimus. Hinc

66 Queritur I. Quid sit, & ex quibus titulis licita fiat usura compensatoria, seu restauratoria. Resp. Usura compensatoria, seu restauratoria est, si ultra sortem, seu summam Capitalem mutuo datam aliquid exigatur non vi solius mutui, sed ratione Interesse ex triplici præcipue titulo, videlicet lucro cessante, damno emergente, & periculo perdendæ sortis provenit. Ita communiter Doctores, & patet ex dicendis.

67 Queritur II. An in mutuo licitè, & absque usura possit aliquid exigi ultra sortem ratione lucri cessantis, aut damni emergentis inde ipsi mutuatori? Resp. I. Affirmativam sententiam esse communiter receptam inter Doctores, quam tenet etiam Glossa loc. cit. & c. quoniam multi. 14. q. 4. ar. 1. Socium qui. ff. Pro socio. ibi: Usuras quoque præstare debet, non quasi usuras, sed quod socii interstet; moram cum non adhibuisse. Accedit ratio; quia aliud est mutuum, aliud lucrum cessans, vel damnum emergens, occasione mutui dati: licet ergo mutuum debeat dari gratis, siquæ ex ipso mutuo secundum se spectato nihil possit supra sortem exigi; bene tamen potest quid exigi, ut lucrum inde verè vocetur Interesse, arg. l. un. c. de Sententiis que pro eo &c. & l. Si commissaria. ff. Rem ratam haberi. ibi: in tantum competet, in quantum mea intersuit, id est, quantum mihi abest, quantumcumque lucrari potui: & alibi.

68 Resp. II. Id, quod in tali casu exigitur ultra sortem seu summam Capitalem, non accipitur tanquam vera usura, sed tanquam Interesse. Ita Glossa communiter recepta in c. quoniam multi. 14. q. 4. ar. 1. Socium qui. ff. Pro socio. ibi: Usuras quoque præstare debet, non quasi usuras, sed quod socii interstet; moram cum non adhibuisse. Accedit ratio; quia aliud est mutuum, aliud lucrum cessans, vel damnum emergens, occasione mutui dati: licet ergo mutuum debeat dari gratis, siquæ ex ipso mutuo secundum se spectato nihil possit supra sortem exigi; bene tamen potest quid exigi, ut lucrum inde verè vocetur Interesse, arg. l. un. c. de Sententiis que pro eo &c. & l. Si commissaria. ff. Rem ratam haberi. ibi: in tantum competet, in quantum mea intersuit, id est, quantum mihi abest, quantumcumque lucrari potui: & alibi.

69 Resp. III. Nihilominus ut hoc licitè fiat, requiruntur plures conditiones. Prima est, ut mutuum verè sit causa lucri cessantis, vel damni emergentis, ita, ut si mutuum non daretur, damnum non incurreretur, vel lucrum perciperetur: quare is, qui adhuc habet alias pecunias pro avertendo damno aut lucro acquirendo sufficientes, & alio non destinatas, ex præfatis titulis exigere ob mutuum nil potest. Secunda est, ut non exigatur ratione talis lucri cessantis, aut damni emergentis, nisi quantum illud arbitrio boni viri æstimetur, spectatis omnibus causis & circumstantiis concurrentibus: nam plus exigens committit injustitiam, etsi non proprie usuram; ut notat Pirhing h. t. num. 40. Tertia conditio est, ut mutuos præmoneat mutuatarius de lucro sibi cessante, vel damno emergente; nam forte mollet cum tali onere mutuum accipere; Non tamen

Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

men necesse est, expressè eum de his præmoneri: sed satis est de excessu aliquo pacifici per modum Interesse.

Quarta tandem conditio est, ut hoc Interesse non statim solvatur à mutuatorio tempore mutui accepti, sed præterea postea. Hinc si Titius mutuet Cajo mille florenos cum pacto, ut ratione Interesse, sive ratione lucri cessantis, vel damni emergentis solvat centum, & istos centum florenos mox detrahat, Cajo non nisi nongentos florenos numerando, committit usuram; quia ex centum florenis illico detractis nullum potest sibi lucrum cessare, vel damnum emergere, siquæ sub hoc prætextu exigens Interesse manifestam committit injustitiam, & usuram saltem passivam. Plura tamen de his omnibus conditionibus apud Authores passim.

Queritur III. An, & qualiter ratione periculi amittendi summam Capitalem liceat in mutuo aliquid exigere ultra sortem? Ratio dubitandi est; quia de Jure Civili permittitur usura centesima in pecunia trajectitia, l. Eas qui. C. de usuris, & ac passim toto Tit. in C. & ff. de Fœnore nautico. Econtra verò c. Naviganti. quod est ultimum h. t. sic habetur: Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuanæ pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ubi Glossa vi. Periculum amplius probat hoc esse usurarium. Et Fagnanus in c. c. Naviganti. h. t. n. 8. ait, per citatum textum esse sublatam Juris Civili dispensationem, & correctum totum Titulum ff. C. de Fœnore nautico. Nihilominus

Respondetur. Si mutuator aliquid ultra sortem exigat propter periculum rei mutuatæ, quod in se suscipit, & verè subest, non committit usuram. Ita cum D. Thoma Opusc. 73. de usura. q. 10. tam Theologi, quam Canonistæ satis communiter præferunt autem Sylvester v. Usura. q. 35. Molini de I. & I. Disp. 304. n. 8. Zoelius h. t. n. 3. Engel h. t. n. 14. Pirhing h. t. n. 44. & alii. Ratio est; quia exponere res suas periculo in gratiam alterius est quid pretio æstimabile; cum nemo teneatur gratis pro altero usuras suscipere; aut res suas periculo exponere. Confirmatur; Quia in tali casu sunt duo distincti actus: unus est contractus mutui, & pro hoc nihil exigitur, neque exigi potest absque usura: alter est contractus affecurationis, quam alioquin mutuatarius deberet præstare mutuatori, nunc autem mutuator præstat mutuatorio cum eodem pacificens, ut si pecunia mutuatata in mari, vel in viâ pereat si pereat. & mutuatarius ejusque hæredes nihil restituere teneantur: atqui talem contractum affecurationis nemo obligatur gratis inire; ergo. Confirmatur secundò: usura non fit, nisi exigendo aliquid ultra sortem ex vi mutui: hoc autem non fit in proposito, ubi exigitur aliquid ultra sortem tantum ratione periculi; ergo.

Ad rationem dubitandi ex c. Naviganti. h. t. desumptam variè respondent Doctores. Quidam volunt, textum illum loqui, quando pretium periculi est accessorium. Alii putant, ibi damnum solum usuras censeras. Quidam intelligunt, ibi prohiberi quidpiam exigere ultra sortem ratione mutui, non ratione periculi. Verùm hæc omnes expositiones dicti Capituli ult. h. t. passim rejiciuntur, utpote cum vel pugnent cum verbis ipsius textus, vel saltem nullum in ipsis fundamentum habeant, sed potius divina re convincantur.

Deinde nonnemo ex recentioribus; quem refert, ac sequi videtur Layman lib. 3. tract. 4. cap. 16. n. 17. & Engel h. t. §. 2. nu. 3. suspicatur, in textum illius Capituli mendum irrepisse per omissionem

B b 3

particu.

particulæ Non, atque esse legendum, usurarius non est censendus. Fundat hanc suam suspensionem in verbis immediatè sequentibus: Ille quoque, qui dat &c. Non debet ex hoc usurarius reputari. Nam si iste quoque usurarius reputari non debet, ergo neque prior: alioquin Pontifex non rectè posuisset particulam istam copulativam, sed debuisset ponere dictionem adverbivam, ille autem, vel hujusmodi. Verumtamen hæc suspicio licet subtiliter adinventata, est contra fidem omnium Textuum atque exemplarium, qui unanimiter affirmativè legunt, ut notat Zoellus h. t. n. 4.

75 Communior, ac cæteris probabilior opinio est, ibi sermonem esse de eo, qui non aliter vult mutare, nisi cum tali pacto susceptionis periculi in se, sique sub spe lucri ultra sortem recipiendi: talis enim gravat Debitorem in aliquid plus sperando ex mutuo, & idè meriti in foro externo Ecclesiæ, quæ de occultis non judicat, usurarius est censendus, ut loquitur textus, ac notat Fagnanus cit. c. Navigandi. h. t. num. 21. asserens, citatum textum procedere in Foro externo Ecclesiæ, quæ quia de occultis judicare nequit, meriti censet in tali contractu lucrum queri ex mutuo, & non ratione solius periculi. Secus dicendum pro Foro animæ: & quoad Deum, dummodò quis revera non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodò accipere pretium periculi in se suscepti: nam tunc intervenire duo contractus, prior mutui liberaliter præstiti; alter affectionationis recipiendo in se periculum amittendi sortem.

76 Tandem Fagnanus in c. Navigandi, h. t. num. 21. & post eum Pihing h. t. num. 48. Lugo, & alii volunt, cit. c. fin. præcedere in Foro externo, & quantum ad judicium Ecclesiæ; quia cum Ecclesia non judicet de occultis, censetur in tali contractu lucrum queri ex mutuo, & non solùm ratione periculi. Nec potest credi soli mutuantis, si dicat, se tantum recipere aliquid ultra sortem ratione periculi: quia ipsi soli tanquam criminoso, & in causa propria deponenti pro Foro externo non est credendum (intellige nisi probare possit, se duos contractus celebrasse, unum mutui, & alterum effecutionis, juxta dicta num. præced.) Sicut à pari præsumitur Electio simoniaca, si Electoribus data fuit pecunia, quamvis dicant, se non esse motos ad eligendum per pecuniam, sed alios electuros fuisse, arg. c. nobis, de Simonia. & ibi notat Glossa, y. Interveniens, & Doctores passim.

77 Cæterum loquendo pro Foro animæ, & in ordine ad Deum, si mutuantis recipiat aliquid ultra sortem ratione mutui, seu eâ intentione mutuet, ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in se suscipiat, absque dabo erit usura; quia hæc sua voluntate committitur, c. Consulit, h. t. Sed si verè non intendit lucrari ex mutuo, sed tantummodò accipere mercedem, seu pretium periculi in se suscipiat, arg. l. Periculi, ff. de Favore nautico, talis in Foro interno & quoad Deum, non est usurarius. Et hæc de causa in sepe cit. c. ult. h. t. notanter dicitur, usurarius est censendus, videlicet quoad Forum exterius Ecclesiæ: non autem usurarius est. Patet proinde, quòd in ordine ad Deum tota hæc res ab intentione distinguitur, & specificetur; quamvis nisi aliud exprimat, in Foro externo hic præsumatur intervenire usuram, per textum citatum, quem utpote satis difficilem, necesse fuit uberius explicare.

§. V.

De Usura Moratoria, seu Punitoria; & de Titulo ex quo fit, & licita redditur, pœna videlicet quæ ob culpabilem moram solvendi apponitur.

S U M M A R I U M.

- 78 Usura Moratoria quid?
- 79 Licita est Usura Moratoria non tantum ex apposita pœna Legali & Judiciali.
- 80 Sed etiam ex pœna conventionali per contractum inter Mutuatorem & Mutuatarium appositam.
- 81 Solvitur objectio: Et num. seq.
- 82 Requiritur tamen ad hoc primò, ne fiat in fraudem usuræ.
- 84 Secundò, ut mora solvendi verè sit culpabilis.
- 85 Tertio, ut pœna sit moderata. & proportionata culpa. Et quartò, ne terminus sit nimis brevis.

Queritur I. Quid? An? & quibus ex Titulis licita sit usura moratoria, seu punitoria? Resp. I. Usura moratoria seu punitoria est, quando mutuator aliquid ultra sortem, vel summam Capitalem exigit à mutuatario non vi solius mutui, sed in pœnam moræ, quam committit in solvenda seu restituenda debito tempore sorte seu summâ Capitali. Ita in re communi. Potest autem pœna hujusmodi esse vel Legalis, id est à lege vel statuto imposita: vel Judicialis, id est, à Judice ad instantiam Creditoris dictata: vel Conventionalis, id est, mutua conventionione mutuatoris, & mutuatarii statuta.

Resp. II. Certum est, licitam esse usuram moratoriam, si pœna est legalis vel judicialis. Sylvester y. Usura l. n. 28. Castro Palao Tract. 32. Disp. 4. pun. 16. n. 3. cum Communium aliorum. Ratio est; quia cum hujusmodi constitutio pœnæ nil contineat iniquitatis, sed ad contractus debitam observantiam serviat, tam à supremo Legislatore per legem, quam à Judice ad instantiam partis licitè & validè imponi potest.

Resp. III. Licita quoque est usura moratoria seu punitoria ex pœna conventionali, seu licitis ac validis inter mutuatorem & mutuatarium est contractus & pactum, ut mutuatarius, si ex culpa tempore statuto non solverit mutuum, teneatur certum aliquid in pœnam solvere ultra sortem, ita Doctor subtilis. 4. dist. 15. quest. 2. §. De secundo articulo. Covarruvias p. 2. de Sponjal. cap. 6. §. 8. n. 5. Palao loc. cit. n. 5. Abbas in c. Suam. 9. de Pœnis. in 6. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 16. nu. 12. cum Glossa communiter recepta in c. Conquestus. 8. de Pœnis. in 6. contra paucos alios. Ratio est; quia imprimis talis pœna justè imponitur, ac exigitur, ut mutuatarius sic quæsi infringatur statuto tempore reddere sortem, & ne suâ culpâ impunè fallat, arg. c. dilecti. 4. de Arbitr. Deinde, quia talis pœna, quæ ultra sortem exigitur, non solvitur vi mutui, sed ob moram seu culpam non solvendi mutuum, quæ ultra sortem exigitur, qui est in mora culpabilis, peccat contra justitiam, retinendo alienum invito Domino, unde justè puniuntur pœnâ Conventionali.

Nec obstat, quòd l. Pœnam. 44. ff. Usur. & fruct. dicitur: Pœnam pro usuris stipulari nemo supra modum usurarum licitum potest. Respondetur enim, per hunc textum reprobari duntaxat pœnam Conventionalem immoderatam, non moderatam. Barbosa in c. Suam. 9. de Pœnis. n. 4.

Dices.

§. VI. Examinantur varii Contractus; &c.

- 82 Dices: Nemo potest alteri pœnam imponere, nisi Superior; ergo. Resp. enim, id verum esse loquendo de pœna legali, aut judiciali, utpote ad quam etiam invitus obligari potest per Superiorem: secus est de pœna Conventionali, quæ ex pacto seu mutuo partium consensu, atque conventionione imponitur. Nam ut habet Regula 85. Juris in 6. Contractus ex Conventionione legem accipere cognoscuntur, cum Concordantiis.
- 83 Cæterum ut hoc licitè fiat, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, quam Doctor noster loc. cit. & cum eo Lessius l. 2. cap. 20. dub. 15. assignat, ut non fiat in fraudem usurarum, sive ad has pallio illius tendendas, quod tunc censeretur fieri (inquit Doctor noster loc. cit.) si Creditor vellet diem transiri potius, quam pecuniam ipso die solvi.
- 84 Secunda conditio est, ut Debitor verè sit culpabilis in mora solvendi: ad hoc autem, ut quis dicatur esse in mora, requiritur, quòd sciat vel scire debeat, se debere: quòd interpellatus fuerit à die vel homine, & quòd possibilitatem dandi haberit, nec tamen reddiderit. Unde si mutuatarius verè sit factus impotens, vel aliàs à solvendo sine sua culpa impediatur, non potest exigi dicta pœna conventionalis prout communitè tenent Doctores, arg. cit. c. Significante. de Pignor. & l. Trajectitæ. 23. ff. de Obligat. & Ad. Ratio est; quia ubi culpa non adeat, pœna exigi non potest; cum, qui culpâ caret, in domum vocare non debeat, c. Cognoscetes. 2. de Constitut. cum Concordantiis. Navarrus Manual. cap. 27. n. 215. Lessius lib. 2. de l. & l. c. 20. n. 131. Hinc in Conclusionem n. 89. postea notanter dicitur: Si ex sua culpa &c.
- 85 Tertia conditio est, ut mora non solùm sit culpabilis, sed etiam notabilis, & pœna proportionata, nam immoderata non valerit. Lessius loc. cit. n. 134. Pihing h. t. n. 52. Hinc & in simili pactum legis commissoriæ in Pignoribus (id est, ut Pignus Creditoris, si certo tempore Debitor non solverit) reprobat, à Jure, ut habetur in c. Significante. de Pignoribus, cum Concordantiis ibidem à Glossa relatis.
- 86 Quarta conditio est, ut sub pœna conventionis ad solvendum non præfigatur terminus nimis brevis, sive talis intrâ quem Creditor scit, Debitorem solvere non posse; tunc enim pœnæ lucrum potius, quam solutionem quæ intendere præsumeretur. Lessius loc. cit. n. 131. Molina Disp. 317. n. 6.

§. VI.

Examinantur varii Contractus, & Actiones, an sint Usurarii nec ne?

S U M M A R I U M.

- 87 Usurarium est ratione solius carentiæ pecuniarum.
- 88 Vel obligationis certo tempore non petendi sortem aliquid contra sortem exigere.
- 89 Solvitur instantia: Et num. seq.
- 91 Si mutuatarius ex mera benevolentia vel gratitudine mutuatori aliquid ultra sortem dat, non est usura illud accipere.
- 92 Bene verò usurarium est, si intervenit pactum, ut mutuatarius saltem ex titulo liberalitatis, vel gratitudinis aliquid ultra sortem det, vel præset mutuatori.
- 93 Doctrina practica ad propositum.
- 94 Imò usurarium est, si quis absque omni pacto principaliter ratione mutui aliquid intendat, aut sperat.

- 95 Non autem si minis principaliter, seu secundariè quid intendat, aut speret.
- 96 Vel etiam roget.
- 97 Qui ob solam dilationem solutionis rem pluri vendit, quam valet, usuram palliatam committit.
- 98 Solvitur Objectio.
- 99 Sine usura mutuo datur, vel venditur res consumptibilis cum obligatione, ut in eadem quantitate futuro tempore restituatur, aut pretium tunc currens reddatur, si nescitur, an futuro tempore plus minusve valeat.
- 100 Secus est, si scitur.
- 101 Nisi forsitan mutuator, aut venditor ipsemet talem rem pro futuro tempore reservasset.
- 102 Chirographum, seu debitum alienum minoris emere licet, quando adest justus titulus.
- 103 Secus si justus titulus abest.
- 104 Quid Juris, si Creditor principalis quidem difficultatem, labores, & sumptus sentire debeat in acquirendo debito; non verò Emptor illius? Et num. seq.
- 106 Etiam ob favorem causæ piæ non licet exigere aliquid ultra sortem.
- 107 Non sunt faciendæ mala, ut eveniant bona: Eleemosynæ non sunt faciendæ de bonis alienis, etiam divitis, vel de usuris: Ibid. & n. seq.

Queritur I. An ratione carentiæ pecuniæ, vel obligationis non repetendi eam certo tempore, possit aliquid ultra sortem mutuo datam exigi? Resp. I. Cum Doctores passim, quòd ratione solius carentiæ pecuniæ, aut alterius rei usi consumptibilis mutuatæ non possit licitè aliquid ultra sortem exigi absque labe usuræ. Ratio est; quia talis carentia rei mutuatæ est quid intrinsicum ipsi mutuo; ergo sicut nihil ultra sortem potest exigi ratione mutui, ita nec etiam ratione hujus carentiæ pecuniæ. Unde Innocentius XI. meriti Anno 1679. sequentem inter alias damnavit Propositionem: Cum numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Resp. II. Idem satis communiter docent Doctores de obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. ante annum: siquidem omne mutuum affert secum obligationem non repetendi sortem per aliquod tempus (alioquin enim foret merum precarium) ac proinde dilatio repetitionis est de ratione intrinseca mutui; ergo sicut nihil potest ultra sortem exigi ratione mutui, ita nec ratione hujus obligationis. Et certè aliquot nullus re ipsa esset usurarius, ut bene notat Lugo Tom. 2. de Justitia & Jure. Disp. 25. sect. 3. contra paucos alios oppositum tenentes.

Nec obstat, quòd hæc obligatio non repetendi per annum videatur aliquid superaddere ipsi mutuo, utpote cum possit dari mutuum ad mensem, aut ad aliud tempus. Resp. enim, licet aliquid addat supra mutuum in communi, non tamen superaddit supra hoc mutuum in specie, seu individuo. Intellige tamen hæctenus dicta, nisi interveniat ratioe lucri cessantis, vel damni emergentis, aut alius ejusmodi titulus justus.

Adde, quamvis quis à principio mutuet, v. g. 90 ad mensem, & postea proroget tempus solutionis usque ad annum, adhuc præcisè ratione hujus prorogationis, seu obligationis non repetendi ante annum, nihil posse exigi ultra sortem; quia censetur duplex mutuum, seu continuatio primi; unde, sicut nihil potest ultra sortem exigi pro prima obligatione non repetendi, ita nec pro secunda, cum

quælibet sit quid intrinsecum tali mutuo. Et certe aliis omnis usura tolleretur, si quis ab initio non nisi ad hebdomadam, vel diem mutuaret, & postea prolongando tempus aliquid ultra fortem exigere.

91 Queritur II. Utrum sit licitum accipere, aut exigere ex mutuo lucrum vel commodum, quod ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuatarii provenit? Resp. I. Certum est, si mutuatarius, idque ex mera liberalitate & gratitudine pro beneficio accepto quid ultra fortem det, id accipere, carere labe usurae, neque mutuantem obligari ad restitutionem rei ultra fortem acceptae, sed præcisè ex mutuatarii liberalitate & gratitudine. Caret controversia. Ratio patet; quia talis vi mutui nil exigit, sed præcisè id recipit, quod alter ex liberalitate & gratitudine, vel obligatione Antidotali præstat.

92 Resp. II. Si tamen pacto interveniente mutuator in contractu mutui quiddam exigat à mutuatario titulo bonæ voluntatis seu gratitudinis, committitur usura saltem palliata. Ita in re certa Doctorum. Ratio est; quia licet tali pactioni adjungatur titulus benevolentiae & gratitudinis, tamen obligationem iustitiæ non excludit; cum verè pacifici, & obligationem iustitiæ inducere, non possit separari. Hinc etiam in Jure Bavarico fol. 498. inter alios ille censetur usurarius subiectus qui præter consuetum censum seu Interesse petit aliam pecuniam sibi à mutuatario solvi gratitudinis ergo, vulgò ein Dienst-Geld. Et Innocentius XI. Anno 1679. sequentem inter alias damnavit Propositionem: Usura non est, dum ultra fortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex iustitia debitum.

93 Inferitur usuram committere, qui mutuum dat hæc conditione, ut mutuatarius saltem ex titulo gratitudinis, vel benevolentiae apud mutuatorem prius, vel potius, quam apud alios necessarios pretio cæteris iusto accipiat merces, v. g. panem, vinum, cerevisiam, ad molendum ipsius, vel furios frumentum molendum, panes coquendos deferat; uti contra Angelum §. Usura. 1. §. 5. bene docet D. Thomas 2. 2. q. 78. a. 4. Molina de I. & I. Disp. 309. n. 6. Layman lib. 3. r. 4. cap. 14. n. 3. Ratio est; quia per hoc imponitur onus pretio æstimabile, dum affertur mutuatario libertas emendi merces &c. ubi vult.

94 Queritur III. An etiam, & quando usurarium sit, ultra fortem absque ulla pactione aliquid intendere solummodo, & sperare, vel rogare dandum aut præstandum à mutuatario titulo benevolentiae & gratitudinis? Resp. I. Qui etiam sine omni pactione, principaliter tamen vi solius mutui aliquid pretio æstimabile intendit solummodo, & sperat, mutuum aliis non daturus, nisi aliquid inde speraret, veram usuram committit, & ad restitutionem recepti tenetur. Ita communis tam Theologorum, quam Canonistarum, cum Glossa in c. Consultuit. 10. h. t. v. Sperantes. textu expresso eod. c. Consultuit. h. t. ubi ad questionem: An ille in iudicio animarum quasi usurarius debeat iudicari, qui non aliis modis traditurus, eo proposito mutuum pecuniam credit, ut, licet omni conventionem cessante, plus tamen forte recipiat? Respondet Papa, talem malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum iudicio efficaciter esse iudicandum. Ratio ibidem ex Evangelio additur: mutuum date, nil inde sperantes: nota ly sperantes, & supple cum Glossa principaliter. Nam.

95 Resp. II. Qui dat mutuum, & sine ulla pactione eundem tantum inde aliquid intendit, & sperat, idem daturus mutuum, etsi sciret, se id, quod

sperat, non obtenturum, ab usura, & alio peccato liber est. Navarrus Manual. cap. 17. n. 209. Barbosa in c. Consultuit. h. t. n. 6. & ibid. Glossa cir. v. Sperantes, arg. can. Quid proderit. 7. dist. 61. & can. Si Officia. 2. dist. 59. Ratio est; quia, cum mutuatarius aliquid possit dare, imò ex Antidotali obligatione mutuatori obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare, & intendere.

Resp. III. Pariter usura caret, si dans mutuum sine ulla pactione, vel obligationis præmissione simpliciter rogat, & supplicat mutuatarium, ut intuitu mutui sibi dati hoc vel illud obsequium præstet mutuatori, hoc aut illud gratitudo faciat, vel donec. Palao de Justit. commutat. Disp. 4. pun. 11. n. 2. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 8. Molina, & alii. Ratio & fundamentum hujus Conclusionis est, quod in præcedenti: quare, uti ibi dictum, etiam hic notandum est, ne videlicet principaliter, sed minus principaliter ac secundario ratione mutui quid intenderet, & speraret, usurarium esse, juxta dicta n. 94. Videntur tamen Doctores citati, hanc rationem esse valde periculosa.

Queritur IV. Utrum ob solam dilatam solutionem vendens rem plaris quam intrâ justum pretium valet, usuram saltem palliatam committat? Resp. Affirmative: nisi rationabiliter dubitetur, an plus minus tempore solutionis sit valitura. Ita habetur c. In civitate, &c. Consultuit. h. t. & ibi Doctores. Siquidem sola mora solutionis, nisi danum inde emergat, aut lucrum cesset &c. non est pretio æstimabile, ac re ipsâ hic intervenit mutuum, & usura palliata; ac proinde merito talis contractus censetur usurarius.

Nec obstat cit. c. In civitate, h. t. ubi dicitur, Licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilo minus tamen venditores peccatum incurrunt. Siquidem in c. Consultuit. eod. clarè habetur, tales esse etiam usurarios pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura & superabundantia prohibetur in lege. Quomodo autem hi textus non sint contrarii, solvit Glossa hic v. malè agere, dicens: quod c. Consultuit. h. t. fit intelligendum pro Foro antræ, sive quoad Deum, ubi tales sunt iudicandi Usurarii propter intentionem, quam habent: Econtra verò c. In civitate, h. t. fit intelligendum quantum ad iudicium Ecclesiæ seu contentiosum. Siquidem tales contractus quoad formam non dicuntur usurarii (nam contractus emptionis & venditionis ex sui forma non est usurarius, quia usura non committitur præterquam in mutuo) sed contrahentes propter pravam intentionem quoad Deum usurarii videntur. Et hanc Glossæ opinionem sequuntur, & à nullo refelli testatur Fagnanus c. In civitate, h. t. n. 4. & seqq.

Queritur V. Utrum usurarius sit contractus, quo frumentum, vinum, vel alia res, præsertim usu consumptibilis in vere mutuo datur, aut venditur eâ conditione, ut in eadem mensura restituatur futuro verno tempore, vel reddatur pretium quo verno tempore constat? Resp. I. Si nescitur, utrum verno tempore res hujusmodi mutuo data, aut vendita plus minusve valeat, ab omni usura immunis est talis contractus. Communis & certa; cum clarè decium habeatur c. In h. t. Ratio est; quia nulla intervenit inæqualitas inter contrahentes, hoc ipso, quod utriusque periculum damni, & spes lucri sit æqualis.

Resp. II. Si verò certum, aut saltem multò probabilius est, valorem rei pro futuro ad solvendum determinato tempore fore augendum, veram usuram apertam committit, qui ita mutuum dat, & palliatam, qui ita vendit, nisi forsitan implet alios hujus-

hujusmodi rem ad tale tempus reservasset. Navarrus cap. 17. n. 219. Palao loc. cit. pun. 13. num. 5. Layman sed. 5. r. 4. cap. 16. n. 14. & 15. Covarruvias Variar. Resol. cap. 3. n. 6. Purhing h. t. n. 57. Ratio patet, quia talis ultra quantitatem creditam aliquid, videlicet quantitatem majoris pretii sine ullo iusto titulo exigit, consequenter ita mutuum dando, apertam usuram committit; vendendo autem usuram palliatam.

101 Dicitur autem notanter, nisi forsitan ipsemet alias hujusmodi rem ad tale tempus reservasset; cum enim in tali casu mutuator aut vendens patitur lucrum cessans, quod servando talem rem habere potuisset, utique pro quantitate lucri cessantis, deductis tamen sumptibus pro conservanda re necessariis, præfatam contractum licite facere potest. Navarrus loc. cit. Molina Disp. 311. n. 1. Lessius lib. 2. c. 20. n. 145. Layman loc. cit. & alii.

102 Queritur VI. Utrum si emptor Chirographum, sive nomen & debitum alienum minori pretio, v. g. debitum certum florenorum, octoginta florenis emat, usura committatur? Resp. I. Quando pro obtinendo tali debito est aliis liquido & certo, vel Debitoris inopiam, potentiam, absentiam, vel aliam causam requiruntur sumptus, labores, vel timenda sunt odia, pericula &c. vel si ratione pecunie pro illo expense intervenit lucrum cessans aut dampnum emergens, nulla committitur usura. Communis Doctorum. Ratio clara est; quia cum hæc sint pretio æstimabilia, ratione illorum utique minoris emere licet hujusmodi debita.

103 Si verò nullus hujusmodi titulus adest, vera usura committitur. Ratio patet; quia tunc præcisè ob præsentem pecuniam, & anticipatam solutionem minore major pecunie quantitas exigitur, quod usurarium esse, ex dictis constat.

104 Resp. II. Casu, quo in obtinendo debito Creditor principalis quidem difficultatem, laborem, & expensas sentire deberet, emptor verò talis debiti illud facillimè, & sine ulla expense integrum acquirere posset, ex eo, quod apud Debitorem, Principem, v. g. vel Magnatem specialiter in gratiã existat, vel magna apud illum merita habeat, vel aliis extraordinariâ industriâ acquirere polleat &c. Usura reus non est, si debitum hujusmodi minoris emat. Molina Disp. 361. n. 10. Lessius lib. 2. cap. 21. n. 76. & alii. Ratio est; quia debiti valor non ex statu, & quantitate Emptoris, sed ex communi æstimatione defumens est; secundum communem æstimationem autem, & seclatâ gratiã, seu favore Principis Debitoris, debitum hujusmodi minus valet; ergo.

105 Aliud foret, & usura reus esset, si Emptor hujusmodi esset Præfectus Atrarii, vel talis Officialis, cujus officium est, Creditoribus Principis ex illius serario solutionem præstare, aut demandare, ut bene advertit Lessius loc. cit. n. 78. Salas de usura. dub. 27. n. 8. Ratio est; quia hoc idem esset, ac si ab ipso Principe pro centum post annum solvendis, solveretur octoginta.

106 Queritur VII. Utrum non saltem ob favorem causæ piæ, vel ob aliud opus bonum absque alio iusto titulo licitum sit, exigere aliquid ultra fortem? Resp. Negative. Conclusio caret controversiâ, ob claram decisionem Juris c. Super eo. 4. h. t. Nam cum ibidem Pontifici proposita esset Quæstio; an possit saltem ex dispensatione pecunia dari ad usuram, ut inde pauperes in potestate & captivitate Saracenorum detenti liberentur? respondit Papa, quod cum usurarium Crimen, utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri posse, non videmus; quia cum

Scriptura sacra prohibet pro vita alterius mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarium crimine involvatur.

Ratio est; quia non sunt facienda mala, ut evolvant bona, ad Romanos 3. v. 8. Nec est facienda elemosyna, vel charitas aut aliud opus pium de rebus alienis, vel de senore, & usoris, arg. can. Non est putanda. 27. cau. 1. q. 1. ibi: Non est putanda elemosyna, si pauperibus dispenseretur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia si hæc intentione, malè accipitur, ut quasi benè dispenseretur, gravatur potius, quam jovatur: & infra: ne ergo sub prætextu elemosyne cum peccato studeamus aliquid accipere, aperte Sacra Scriptura nos prohibet dicens, hostie impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere; quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis non placat iracundiam, sed irritat: hinc scriptum est: honora Dominum de tuis laboribus, & can. 1. cau. 14. q. 5. Nolite velle elemosynas facere de senore, & usuris: Neque licet illicitè auferre aliquid divitibus, ut detur pauperibus, vel ad alias piis causis, can. Forte aliquis. 3. ead. cau. & q. cum Concordantiis ibid. Accedit, quod etiam ex charitate pro vita alterius conservanda non liceat mentiri, can. Ne quis. 14. & can. Si quis. 17. cau. 22. q. 2. Ergo multò minus exercere usuram; cum hæc gravius Crimen sit, quam mendacium, cit. c. Super eo. 4.

Nam verò saltem ex dispositione supremi Domini, vigore Domini altè id licite fieri possit, vide dicta supra.

§. VII.

De Pacto Antichrifeos, & Legis Commissoriae; ac de Montibus pietatis, an sint usurarii, nec ne?

S U M M A R I U M.

- 108 Pactum Antichrifeos quid?
- 109 Est illicitum & Usurarium, nisi ad sit iustus titulus.
- 110 Qualis est, si Jure census, percipiuntur pignoris fructus.
- 111 Item si pignus à Creditore emitur, cum pacto revendendi.
- 112 Item si pro assecuratione dotis Marito nondum solute datur pignus: Et num. seq.
- 114 Sicut etiam, si vasallus Domino directo pro pignore dat Feudum, vel Emphyteusim.
- 115 Ratio hujus.
- 116 Nec favore causæ piæ licet pactum Antichrifeos, seu ratione muii percipere pignoris fructus.
- 117 De pacto Legis Commissoriae. Remissive.
- 118 Montes pietatis quid?
- 119 Unde originem habeant?
- 120 In iis datur aliquid supra fortem non pro lucro Montis, sed pro sustentatione Ministrorum.
- 121 Ob quod futre impugnat quidem sed nihil minus tanquam liciti & meritorii approbati, ac laudati à Summis Pontificibus.
- 122 Et à Concilio Lateranensi per Bullam Leonis X. etiam sub Excommunicatione prohibentis, ne amplius contra illos quis predicaret, aut disputaret.
- 123 Ratio approbationis.
- 124 Perfectissimus tamen foret, si omnino gratis à Montibus daretur mutuumsita ut neque pro Ministris aliquid